

P. S. Literis, si quas ante abitum meum ad me dare Tibi placuerit, præter nomen meum inscribi potest: at levetur tibi titulus Ambts-Chirurgus Muxoll paa Vandkonsten.

(8) Viro Nobilissimo atqve Experientissimo

D: D: Carolo Linnæo Eqviti aurato

S: Reg: Maj: Svec: Archiatro, nec non Professore Med. et Botan. Upsal. Ord.

Præceptorum æternum colendo

S. P. D.

Georgius Tycho Holm.

Facillime inducaris, Vir Nobilissime! ad credendum, me esse omnium ingratisimum, qui tot tantisque à Te cumulatus beneficiis post meum ex Svecia abitum per tantum temporis intervallum, ne unicam ad Te misi lineolam; Cujus desidiosæ literarum intermissionis atqve tarditatis gratiam facias, humillime precor, cum gravidam ejusdem causam ac justam excusationem afferre nequeo, præter unicam nec eam sat ponderosam, me, videlicet, nihil in Patria hactenus offendisse, quod Tibi referendum judicavi dignum. Hoc quamvis veritati consonum est, diutius tamen differre nequeo, quin de præsentis meae fortuna variisque post reditum in Patriam fatibus Te certiore reddam: Humillimas easdemque immortales in antecessum grates pro immensa in me Benevolentia ac summa humanitate Tibi referens.

Mihi in Patriam reduci mox oblatum fuit iter in Arabiam desertam sumptibus Regiis instituendum; siquidem verò in eodem itinere vicibus et Mathematici et Astronomi et Delinæatoris et Naturalistæ fungi deberem, me tali itineri totque muneribus omnino imparem mox declaravi: nullus nostratum hactenus tale iter in se suscipere voluit, recusante quoque D^{no} Wiedemanno, qui jam Goettingæ commoratur. Postea ab initio præterlapsi anni stipendium accepi itinerarium Regium, in Hollandiam atqve Angliam proficiscendi ergo. Cum verò eodem simul tempore, Auctore et Svasore Supremæ Aulae Regiæ Præfecto, Excell. D^{no} Comite de Moltke (altera, ut